

Nr. 24.

47

PRORECTOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
**IO. SAMVEL
STRYKE,**

IC^{tus},

SERENISSIMAE VIDVAE SAXO-ISENNAA-
CENSIS CONSILIARIVS AVLICVS,

I. V. D. ET P. P. ORD.

VNA CVM

PROFESSORIBVS RELIQVIS

AD

aw.

Natiuitatem CHRISTI, vt Portam totius Vitæ
nouæ, deuote salutandam & amplectendam

hortatur.



Totius vitæ nostræ sanandæ cauſſa Saluatorem natum esse, grauiſſimis verbiſ docet Auſtor epistolæ ad Ebræos c. 2. v. 14. 15. Cum, inquiens, pueri particeps facti ſint carniſ & ſanguiniſ, & Iſpē pariter participem ſe fecit eorundem, vt per mortem aboleret eum, qui potentiam habebat mortiſ, hoc eſt, diabolum, & dimitteret hos (liberos) quotquot metu mortiſ dia
mavros & q̄n per omnem vitam obnoxii erant feruituti.

Sentit ſane hanc ex lapsu feruitutem natura, quicquid ſimulēnt quandoque vel diſſimulēnt mortales. Hinc decebat Eum, propter quem omnia, & per quem omnia, Ducem ſalutis deperdi-
tae per paſſiones conſummare, v. 10. 17. 18. eoque ipſi *corpus* aptare
c. 10. v. 5. 10. debellando ſcilicet in ipta carne noſtra diabolo, me-
tumque ita mortiſ feruilem per ipſam mortem ſanctiſimam re-
pellendo.

Et tanti quidem negotii, quod ſingulis incubit ponderan-
dum, lineamenta prima, imo fontes & documenta reperiuntur in
Genesi; inde ſe diſſidentia per totas ſacras literas. Quæcunque
enim leguntur ibi de *tremore Adam*, reſonante voce Dei ad homi-
nem, *vbi tu?* c. 3. v. 7. 8. 9. 10. de *diebus vitæ hominis* v. 17. de inter-
dicta item iam *arbore vite* v. 22. 24. hæc, inquam, eti breui pagel-
la diduci minus poſſunt, innuunt tamen, quid mansurum fuifſet
wāv rō q̄n, onne rō viuere Euigenarum, niſi ſerpenti ſeductorij op-
poſita fuifſet ſententia de ſemine mulieris, niſique per nouam,
quam decreuit, Genefin noua porta vitæ diuinitus adiuuenta fuifſet,
& aduersus iuſtam maledictionem moeſtiſ hominibus oſtenſa,
una cum caſtigationib⁹ medicinalib⁹ v. 15. 20. 24. In familia Seth
cum naſceretur Noah, dixit pius ille Lamech pater: hic *consolabi-*
zur

tur nos ab opere nostro & a labore manuum nostrarum ex terra,
cui maledixit Jehovah. c. 5. v. 29. Dicitis his de Noah, subesse quoque id, quod de *solatio* seu electione ventura *omnium gentium* p̄ædixit Haggai propius c. 2. v. 7. dubitare nos non finit affectus o-
mnium credentium, ceu exspectantium *solatum* Israel, descriptus
Luc. 2, 25, 38. II. Similia habentur Gen. 48, 15. 16. 19. 32, 26, 28. 28, 14, 17, 12.
Num. 23, 21. 24, 17. I. Chron. 4, 9. 10. Jer. 23, 5. 6. 33, 15, 16. Es. 9, 1--6.
40, 1--5. 9. Zach. 3, 8. 9. 10. 4, 10. 6, 12. Sap. 10, 1. 4. 9. 10. II. colligen-
da inuicem, exemplo Mariae matris. Luc. 2, 19, 25, 34, 38, 50, 51. Pri-
scorum certe fidelium methodus ea fuit, vt sub vitæ huius miseriæ
sensu iusto (quem non respuebant prorsus, more Cainitarum) ve-
nas vitæ promissæ humillime indagarent & eruerent; scrutante in
ipsis Spiritu Christi, testante prius de afflictionibus in Christum, &
de gloriis post eas certissimis I. Petr. 1, 10, 11, 12, 13, 19, 20, 21, 24, 25. In-
de se armabant isti aduersus omnes casus & terrores per *omnes dies*
vitæ Luc. 1, 74, 75, 70, 79, 30. Ps. 23, 1. 4. 6. Malach. 3, 1, 2, 3, 20. adeoque
& aduersus mortem, Luc. 2, 28, 29, 30. 2. Sam. 7, 12, 18, 29. Matth. 2, 20.
18, 16, 13, 4, 2. Manuducente eodem Spiritu, magis magisque affue-
scabant penetrare in sublimitatem *vnius* istius intelligendam, in
quo sibi benedicere debeant *omnes* familiae terræ, quantum eum
vnum esse oporteat, qua & quali fide *vnuis* is apprehendendus se-
rio vitæ desiderio. Gal. 3, 16. 8. 2, 20. Act. 3, 25. 13, 15. 4, 12. Ebr. 7, 3.
4, 7, 26. Gen. 22, 18, 7, 8, 14. *Vnus* mediator Dei & hominum, homo
Christus Jesus. I. Tim. 2, 4, 5, 6, 3, 16. 1, 15. I. Cor. 15, 47. Ioh. I, 4, 14, 51.
6, 33, 35. 42, 48, 51, 57. 7, 27, 28, 41, 42. I. Ioh. 1, 2. 4, 9, 10, 3. *Vnus* natus
in gaudium omni populo. Luc. 2, 10, 11, 13, 14, 31. I, 35, 43, 47, 78, 79.
Aeternum pignus miserationis & benedictionis diuinæ, de quo ca-
ni debet: arcens mali contagium, vitæ repellens tædium, arbor nova
vitæ, radix sanitatis, recludens librum clausum agnellus, *ἀγέλειον* illud.
Apoc. 5, 1--5--13. 7, 17. 12, 5, 11, 12, 16. 22, 1, 3, 14, 16. Et videbit *omnis ca-
rō* salutare Dei, Luc. 3, 4, 5, 6, 7, 8. Ita τὸ σωτήρειον toto statui carnis
alibi quoque opponitur, vt *vnum* ex altero eo percipiatur efficacius.
Coram hac primogenitura inclinant se omnes angeli: ab
hac vna pendet vera *consecratio* omnium vitæ generum atque or-
dinum

dinum quo cunque tempore. Ebr. 1, 7-6. 2, 11. 9. 15. 16. Col. 1, 15-22.
27. Apoc. 1, 5. 18. Eph. 5, 23. 25-32. 1, 23. 1. Tim. 2, 1-5. 8. 3, 15. 16. 4,
4-8. 9. Haec genesis ex lapsis facit noua germina iustitiae, & inflam-
mat per fidem illud *ζωογένεια*, de quo Salvator ipse Luc. 17, 33. 22. 24.
26. 30.

Vtinam, qui studia excolimus, vestigia hæc mysteriorum
salutis premeremus omnes atque singuli! *Deploro & meam* (epi-
stola est Philippi Melanchthonis, Viri doctissimi, scripta quondam
circa has ferias Georgio Principi Anhaltino) & totius generis huma-
ni duritiem, quod tanti operis diuini consideratione non ardenter adfi-
cimur. Ipso die natali Filii Dei A. 1547. ad eundem Georgium, ve-
re Georgium, reuocat in memoriam, vt initium fuerit ecclesiæ
Dei promisio de semine salutari, edita post Adæ lapsum. *Confu-*
gio igitur, pergit, ad unum hoc præsidium, videlicet ad semen saluta-
re, natum ex Virgine. Non sum Epicureus, sed spero nostros gemitus
Deum exauditum esse, & mitigaturum publicas & priuatas calamiti-
tates. Et paulo post: Si genus humanum casu aut tantum naturæ
legibus sine Dei gubernatione regeretur, nec seruata esset ecclesia antea,
nec deinceps seruaretur in tam horrendis confusioneibus. Sed firmissima
fide statuamus, semper Filium Dei colligere, & inter ingentes procellas ac
tumultus imperiorum seruare aliquem cætum, in quo lucet agnitus Dei,
& ibi quidem seruare, ubi sunt mediocria studia doctrinae a Deo traditæ.
Sic inquit ipse Filius Dei: ero vobis cum usque ad consummationem se-
culi. Et Irenæus inquit: semper adfuit generi humano Filius Dei. Hac
spe & alia multa communis vita officia facio. Multa accidentunt singulis
hominibus, inextricabilia humano consilio. Sed ideo Deus nos ita ex-
erget, quia vult nos non tantum a nostris consilia pendere, sed ab ipso.
Ideo Filius Dei assunxit humanam naturam, quia miseri sumus, ut no-
stra onera in se deriuaret, & nos sanet. Non igitur abiciamus doctri-
ne ipsius meditationem hoc tristi tempore. Imo fides in calamitatibus
magis accendi potest, quam in otio & in luxu. Accessit ad nos Filius
Dei, non ut otiosis animis de eo philosophemur. Interim & nos, quibus
adhuc concedit otium, vult sedulo in propagationem literarum & salu-
taris doctrinae incumbere, & iuuentutis studia accendere, & ad posteros,
quasi

quasi patrimonium, bonas artes illustratas transmittere. Rursus die natali Filii Dei anno sequente 1548. ad Anhaltinum, Praesulem ecclesiae optimum: apud Ezechielem iubet Deus Angelum, percutientem principes & populum in templo, parcere iis, qui gemunt propter profanationes. Parcer igitur Deus nunc quoque aliquibus, qui etiam si open ferre ecclesiae non possunt, gemitu tamen ostendunt confessionem suam & bonam voluntatem erga ecclesiam. Inter tales utinam & nos seruemur!

Quia semel, in tanta nube testium, incidimus e recentioribus in epistolas Philippi Viri Academicorum, non abs re fuerit continuare paulisper bene meditata. Ad Legatum Pontificium Thomam Campegiun in conuentu Wormaciensi A. 1540. instat, scribit, dies, in quo celebratur historia de nato Filio Dei, Liberatore nostro, cui praedeunti in mundum pii angeli hymnum canunt, quo beneficia predicant nascentis Christi, qui patefacturus sit gloriam Dei, facturus pacem in terra, & letitia sempiterna cumulaturus homines. Ideo vero preceunt angelii, ut nos admoneant de nostro officio, ac maxime gubernatores. Hi sunt illius chori socii, cum gloriam Deo canunt, id est, cum veram doctrinam illustrant, cum ecclesiis pacem concedunt, & inter homines disciplinam tinentur: non, cum oppressa veritate scutitiam in ecclesiis exercant, & vastitatem efficiunt. Scimus etiam, plausibilem esse orationem, dicere de concordia, de pace, vituperare contumaciam. Nec leuiter mouentur animi mediocres hoc genere obiurgationum. Sed tamen videndum est, in quibus culpa haereat, ut vera, recta, & necessaria ecclesiae, doceant. In hanc curam incubuisse aliquos ex nostris, Deus testis erit. Similia, eadem id temporis occasione, exarauit ad Balthasarem a Promniz, Episcopum Vratislauensem (non male animatum; vti & patet ex alia epistola συγχέων, data de hoc ipso ad Ambrosium Moibanum, Vratislauæ Pastorem) item ad Fridericum Nauseam, Episcopum Viennensem, simulque confiliarium Regis Ferdinandi I. nec non ad Petrum Paulum Vergerium, episcopum adhuc Iustinopolitanum. Non possumus, quin excerpamus aliqua ex litteris, Wormacia itidem scriptis ad Fridericum Norimbergæ Abbatem Aegidianum, euangeli caussa animo adflictum. Video ecclesiam Christi iam renascentem concuti non usitatis aut leuis, sed

miris & ingentibus periculis & terroribus. Sed tamen Dux noster
Filius Dei non defuturus nobis est. Et si dura militia est: tamen haec
exercitia pios erudiunt & confirmant. Absit a nobis otium, quod habent
Epicurei, nec dubitemus Filium DEI per infirma organa tamen illustres
triumphos acturum esse, represso diabolo. His me cogitationibus ipse
sustento: haec oppono igneis diaboli telis. Diabolus ipse exaggeret,
quantum volet, nostra crimina: tamen non pluris sunt facienda, quam
victima, cuius meritum nobis applicat Pontifex Christus, assidue pro
nobis interpellans Patrem (Ebr. 2, 17.18.15.14. 9.10. 4.15. 2. Tim. 2,
8.11.) Necessariam caussam habemus. Excitemus igitur animos, &
illam veram vocem euangelii, seu classicum, audiamus: exuberat gra-
tia supra delictum. Nec peccata nostra nec mundi iustitiam, nec dia-
boli potentiam anteferamus victime pro nobis mactata, qua est Filius
Dei. In historia autem istius colloquii Wormaciensis, epistolis
inferta, materia attingitur de peccato originis. Deploranda erat
omnium lacrymis humani generis miseria, quod propter malum originis
haec prestans natura, primum horribili ira Dei, deinde ingenti mole ca-
lamitatum huius vite, & morte ipsa oppressa est. Præterea imagine
Dei in nobis deformata, nunc in tenebris & contumacia perpetua contra
legem Dei versatur. Hoc tantum malum isti Epicurei extenuant. Non
arbitror autem, quemquam pium adeo lentum esse ιγ ἄχολον, ut sine fre-
mitu verborum prestigias legere posset. Luditur vocabulis criminis, cul-
pe, peccati capitalis. Scio frustra haec dici iis, qui religiones iudicant
fabulosas esse. Et hac ultima etate mundi videmus hanc cyclopicam
philosophiam late vagari & multos habere adplausores. Sed
scriptum est de hoc tempore: Tunc stabit pro filiis populi sui Dux ma-
gnus, quod ex Deo est, non delebitur. Quae Auctoris severitas fere
nubet recordari zeli, quo idem paulo ante usus fuerat A. 1539. ad
Senatum Venetum in causa Serueti. Belligeratur, inquit, Diabo-
lus cum vera ecclesia, quibus potest, artificiis, cum offundere opiniones
contra verbum Dei, cum auellere animos ab illa regula conatur. Sed
haec militia paucis nota est. Ideo omnibus etatis ab initio mundi pas-
sim sparsi & propagati sunt errores omnis generis. Cum enim omnium
hominum mentes natura ducantur, ut aliquid de religione querant,
§ ta-

¶ tamen negligenter tucantur verbum Dei, ac libertius assentiantur humanis speculationibus, facile excutitur hominibus verbum Dei.

Fatemur, minus concinnum videri posse, quod vnius Auctoris tot cumulantur testimonia. Enim vero cum non id fiat fallendi temporis causa, sed ad illustrandum, quod cæpimus, argumentum, multaque ex annalibus Euangelicis nos commonefaciat: subiungamus nonnulla ad amicos perscripta. A. 1523. Cal. Ian. ad Ioachimum Camerarium, quo vtebatur Philippus quam familiarissime: *Presentissimum remedium calamitatum scis a Christo tibi petendum esse. Quod si divitias crucis noris, facile superaueris tristissima queque. Neque dubito firmorem animum fore, site consoleris contemplatione eorum, quæ velut in theatro piis omnibus exhibuit cælestis Pater in historia Abrahami, Iosæ, Iacobi, Iosephi. Nunc alios pætereo. Vix credas, quam me horum caſus, quomodo cuncte perturbatum, erigant. Neque ignoro ego rideri haec a palliatis magistris. Et recte quidem. Nam Euangelium μυστηριον vocat diuinus spiritus. Tu memineris te Christi esse: sentiens, quod res est, nullum vitæ genus a pietate alienius esse, quam quod vacet cruce.*


A. 1533, die Iohannis Euangelistæ, seu feriarum nostrarum ultimo, ad Iohannem Mattheum nonnihil loquitur & de primo exilio, in quo primi parentes cælestem patriam amiserunt, & de Filio Dei, qui pro nobis exul factus est, ut reducat nos in æternam patriam. Gen. 3, 24. 12, 13. 26, 3. 4. Matth. 2, 2. 4. 6. 13. 16. 18. 20. 4, 4. 14. 16. 8, 20. Ioh. 18, 36. 37. 12, 23. 25. 26. 34. 1. Cor. 15, 19. 45. 47. Ebr. 11, 12. 17. 18. Col. 3, 3. 4. 10. 11.) Et A. 1543. mi Matthei, scribit, *gaudeo relinquere altercationem, quæ inter vos fuit de iustitia ante lapsum humanae naturæ. De presentibus ærumnis, de presenti beneficio disputationem. Magnæ res nobis cogitande sunt. Postquam lapsa est humana natura, cogitemus seriam fuisse iram Dei, & quidem tantam, ut nisi tunc Filius fuisset deprecator, tota homi-*

hominum natura reiecta fuisset. Considerat Deus homines, ut se patefaceret, ut celebraretur, denique ut delectaretur hoc opere. Ab hoc se contemptum esse vere irasciebatur: sed intercessit pro nobis Filius. Rursum magnitudo misericordiae declaretur; quæ tamen, si ira non cogitetur, declarari non potest. Hos locos agitandos & illustrando esse duco. Et in his versari Paulum vides. Omittamus disputationes, quæ plus habent subtilitatis quam utilitatis. (Ioh. 7, 27. 28. 36. 53. I. Cor. 1, 30. 20. 24. 9. Matth. 16, 13--25. 27.

Ad Paulum Eberum, his diebus A. 1547. Lugeamus communes ærumnas generis humani una cum Abel & ceteris ecclesiæ principibus, & a Filio Dei consolationem petamus & expectemus. Et A. 1556. ad G. Agricolam: Christum, custodem ecclesiæ sue, ideo massam naturæ humanæ adsumpsisse, ut nos, tanquam surculos, sue massa infertos, gestet & seruet, sicut inquit: ego sum Vitis, & vos palmitæ.

Vt amur ergo omnes fruamurque grato animo cælestibus his deliciis & muneribus in consecrationem ac directiōnem totius vitæ nostræ, certissimi viuentes mortuos esse, qui sine Christi participatione sunt. Act. 2, 30. 39. 40. 3, 25. 26. Tit. 2, 11. 12. 13. 3, 3. 4. I. Petr. 2, 2. 3. Rom. 9, 5. 7. 9. 26. Ef. 4, 2. 3. 4. 8, 18. 19. 10. I. Tim. 5, 6. 11. P. P. In Academia Fridericia-na Fer. Natal. A. MDCCXI.

Typis Stephani Orbani, Acad. Typogr.



Ja 1586

ULB Halle
001 508 687

3



VDN8

St

VDN7

inches
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

| | | | | | | | | |
|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|
| Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|

B.I.G.

PROREC
ACADEMIAE FRI
IO. SAM
STRY
IC^{tus}.

SERENISSIMAE VIDVA
CENSIS CONSILIAR

I. V. D. ET P. P.

VNA CVA

PROFESSORIBVS
AD

Natiuitatem CHRISTI, vt
nouæ, deuote salutandam

hortatur.